

LVNÆ DIE 21 M. AVGVSTI A. 2006

A.d. XII Kal. Septembres a. MMVI

I 33

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE HORNOTINO SYMPOSIO BRUXELLENSI AVSPICIIS ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ HABITO

Per totam primam septimanam mensis Augusti habitum est nostrum Symposium Bruxellense, in tranquillo remotoque urbis vico « Chant d'Oiseau » vocato (Avis cantus). Ibi in summo colle iuxta pulchrum viridarium, Franciscani ante alterum bellum mundanum ædificaverunt ecclesiam magnam et monasterium, in quo nunc temporis tantum supersunt pauci grandævi monachi ; quare monasterium factum est institutum laicum, ubi accipiuntur omnis generis greges ad seminaria habenda. ¶ Fere quinquaginta numero fuerunt participes e septem nationibus oriundi et inter se valde diversi ; intererant enim cum homines Latine loquendi periti tum tirones. Ut singuli secundum suum scientiæ gradum suaque studia tractarentur, tres greges constituti sunt cum suo quisque moderatore. Christianus Laes tirones docuit omnium cum delectatione. Francisca cum secundo grege facultatem loquendi variis modis exercuit. Ei qui historiam amant cum Gaio textus legerunt omnis ævi, ad singularia itinera spectantes, e quibus orta sunt colloquia vivida. ¶ Singulis diebus acroasis facta est de quodam attractivo itinere. Maxime miranda fuit Ladislai Dolidon narratio imaginibus illustrata : ipse enim intra sex menses iter birota fecit e Francogallia, per Constantinopolin et Asiam Minorem Syriamque usque ad Alexandriam Ægypti. ¶ Autoræda longa vecti Lovanium petivimus, ubi,

Volfango Jenniges mystagogo, participes tres horas pedibus ambulaverunt per vias, vehementem sed feliciter brevem imbrem etiam patientes. Maxime attractiva fuit lustratio magni beginasii e centum circiter domunculis constantis, ubi quondam vixerunt usque trecentæ beginæ ; hoc ædificium nunc pertinet ad Universitatem Lovaniensem et factum est hospitium alumni et professoribus extraneis aptum. ¶ Una e sessionibus postmeridianis facta est in Domo Erasmiana, invitante Alexandro Vanautgaerden, Domus curatore. Francisca lustrationem duxit et commentata est ; aliquid inexpectatum insuper instituerat ; in maximo enim cæco sollemnem receptionem clanculum paraverat in honorem Gai septuagesimi quinti diei natalis. Oratione palam facta, Francisca ei pulcherrimum librum obtulit, cui conficiendo duos fere annos operam dedit, multis cooperantibus et symbolam mittentibus. ¶ Postmeridianis temporibus Gaius pro eis, quibus Bruxellæ non erant notæ, tres ambulationes per mediæ urbis vias duxit. ¶ Ars musica non est neglecta ; duos enim concentus musicos vespere habuimus. Daniel Blanchard, altissimæ vocis cantor, et Olivarius Pédelfous ad clavile primi se prodixerunt. Alter concentus post cenam valedictoriam factus est a Raphaele violoncellista et Alexandro violonista, ambobus Stephani Feyer filii, atque Paulina Caplier, clavicina. ❧



DE XI CONVENTV ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

Die Dominico 23 m. Iulii, octoginta circiter homines de multis regionibus oriundi, etiam ex America et Russia, in Hispaniam convenerunt ad Academiæ Latinitati Fovendæ XI conventum participandum. Prima conventus sedes erat Alcannizium, parvum oppidum provinciæ Aragoniensis medio in oliveto situm. Castellum ædificatum est in summo colle, qui oppido imminet. Nostra ætate ruinosum castellum restauratum est ut fieret deversorium, quod vocatur « Parador ». Nonnulli conventus participes ibi commode pernoctaverunt; ambulatione quinque tantum minutarum distabat a medio oppido, ubi in theatro habebantur conventus sessiones.

Conventus moderatores erant Iosephus Maria Maestre Maestre, cathedraticus philologiæ classicæ in studiorum universitate Gaditana necnon ALF sodalis, atque Ioachimus Pascual Barea, philologiæ classicæ professor in eadem universitate. Notandum est, quia res est nimis rara, illos ambos viros academicos usui linguæ Latinæ favere; Latinam societatem Gadibus etiam condiderunt, cui præest Ioachimus Pascual Barea.

Sexto decimo sæculo artes liberales Alcannizii flourerunt. Ibi nati sunt complures humanistæ, inter quos Iohannes Sobrarias, Petrus Royzius, Bernardinus Gomesius, Iohannes Laurentius Palmyrenus. Etiam recentius ibi conditum est Institutum Studiis Humanioribus Fovendis, cuius rector est Iosephus Maria Maestre Maestre; non mirum ergo quod Alcannizium elegit ut primam conventus sedem.

Præcipuum conventus argumentum tractandum enuntiabatur his verbis: « Qualis fuerit activa linguæ Latinæ institutio a sæculo XIV usque ad nostram ætatem ». Cui addebatur hæc adnotatio: « Haud dubium est, quin linguæ Latinæ usus et colloquiis habendis et operibus legendis et opusculis scribendis sit via omnium efficacissima, qua sermo sive antiquus sive recentior doceatur. Hac enim adhibita ratione alumni ad studia Latina alliciuntur, grammatica ac copia verborum facilius discuntur, facultas textus legendi et interpretandi acuitur. »

Lunæ die hora II Iosephus Maria Maestre primam acroasin fecit. Secutus est Aloisius Miraglia, « Vivarii Novi » conditor, cuius omnes facundiam Latinam admirati sunt. Deinde ego Academiæ historiam palam adumbravi.

Tantum post has tres acroases facta est conventus inauguratio verbis Præfecti Alcanniziensis, Caroli Abril Navarro et Academiæ Præsidis, Tuomonis Pekkanen et Consiliarii ALF Conventibus curandis, Antonii Capellán García, et conventus moderatorum.

Non ante horam tertiam postmeridianam prandium

apponi solet in Hispania.

Ab hora quinta usque ad octavam iterum factæ sunt acroases; deinde Chorus Alcanniziensis participes delectavit operibus Latine cantatis. Hora nona et dimidia licuit cenatum ire.

Martis die hora decima acroases incohatae sunt. Inter oratores maximum plausum acceperunt Carolina Thuysbaert, quæ Scholam Novam explicavit, Michael von Albrecht, qui de Sagata Pallade elegantissime locutus est et Valahfridus Stroh, qui sine foliis, sine microphono, modo antiquorum, sua sonora voce narravit « De Monachio, urbe Latinissima ».

Academiæ sodales omnes acroases sessionis antemeridianæ auscultare non potuerunt, quia eodem tempore in curiam sollemniter recepti sunt, ubi post verba gratulatoria et gratias actas Libro Aureo subscripserunt.

Mercurii dies deditus erat lustrationi Tarraconis. Convenimus sub urbis mœnia Romana, secundum quæ æstuosam ambulationem fecimus; postea periegeticum urbis officium intravimus, ubi exhibetur perpulchrum exemplar minutum Tarraconis, qualis fuit secundo sæculo p.Ch.n..

In proximo est magna lautaque domus « Casa Castellarnau » vocata, cuius vetustior pars quarto decimo sæculo exstructa est. Ibi ædiles participibus propoma « cava » (i.e. vinum fervidum) præbuerunt una cum verbis saluatoriis.

Prandio ad litus sumpto, participes postquam nonnulla vestigia Romana inviserunt, in studiorum universitatem Tarraconensem « Rovira Virgili » vecti sunt, ubi Iohannes F. Alcina acroasin fecit « De poesi Latina sexto decimo sæculo provinciæ Tarraconensis ».



In domo « Casa Castellarnau ».

Denique petenda erat altera conventus sedes, urbi-
cula Amposta, quæ iuxta ostium fluvii Hiberi sita est.
Ibi Romani anno 217 a.Ch.n. Pœnos superaverunt præ-
lio navali.

Iovis die adiimus ædes veteris scholæ in Museum
Regionis Montsia transformatæ ; ibi sessiones habeban-
tur in moderno œco aere temperato instructo.
Audivimus inter alios Mariam Patriciam Villaseñor
Cuspinera, profestricem in Universitate Nationali
Autonoma Mexicana, Terentium Tunberg,
Universitatis Studiorum Kentuckianæ, Theodericum
Sacré, Universitatis Catholicæ Lovaniensis, et
Andream Fritsch, Liberæ Universitatis Berolinensis.
Duo participes verba fecerunt, quæ spectant ad neces-
sariam institutionem extrascholarem linguæ Latinæ ;
A. Gratus Avitus locutus est « De viva lingua Latina
per rete docenda » et Victorius Ciarrochi « De grege
Latine loquentium ».

Veneris die ultimas acroases audivimus. Cito inter
plures Milenam Minkova, profestricem in Universitate
Kentuckiana, et Ioachimum Pascual Barea.

Medio die ad mentes relaxandas excursionem feci-
mus ad ostium Hiberi ; ibi ante semisæculum erant
palustria insalubria, quæ facta sunt segetes oryzæ, ser-
vata tamen parte fera, ubi stationem faciunt multæ
aves et nidificant phœnicopteri.

Hora septima facta est sollempnis conventus conclu-
sio verbis domini Iohannis M. Roig i Grau, Præfecti
Ampostini, domini Antonii Sabate, Rectoris Cultus
Civilis Officinæ apud Iberis Terras, domini Tuomonis



Amposta inter acroases.

Pekkanen, ALF Præsidis, domini Antonii Capellán
García, Consilarii ALF Conventibus curandis, atque
conventus moderatorum.

Ante musei frontem patet hortus magnus ; parti-
cipes illuc confluerunt ad concentum musicum
audiendum, quem præbuit grex « CFK Jazz Quartet »
de gradibus ad scholæ ostium ducentibus. Interea in
hortum afferebantur mensæ variis cibus ornatæ. Sic
gustando, deambulando, sermocinando et vinum ferve-
dum bibendo finem habuit conventus vere Latinus. ❧

De Symposio Bruxellensi alias imagines inveniatis in Melissæ sede interretiali : <http://users.skynet.be/Melissalatina>



OMNINO NON ASSENTIOR ! SIVE VITUPERATIONEM IN AMICVM GAIVM

– scripsit Stephanus Feye –

Nunc, carissime amice Gai, iam fieri non potest ut taceam. Famosi enim Cyclopi instar, qualis fuit ante Ulixis (i.e. sapientiæ divinæ) visitationem correctionemque, mihi videris ὑπερφύαλος (Od. 9, 106) i.e. immoderatus !

Revera, imprimis hoc palam fateri volo : te numerari existimo inter eximios rarissimosque viros quos Fortuna mihi feliciter novisse dedit. Scientiam enim tuam ac Latinitatem, sermonem, acroases valde admiror. Amicitia vestra (i.e. Franciscæ etiam) iam multos annos utor, et singulis conventibus nostris locupletior factus sum in rebus tum geographicis, historicis, scientificis cum politicis etc. Quid de Schola Nova nostra quæ sine generositate et assiduitate vestra certe non tam bene floreret ?

De his ergo omnibus, Deo Providentiæque Cæloque gratias plurimas ago. Sed his, amice, non levior sed potius gravior fit accusatio quam tibi inferre volo.

Etsi enim vera sunt fere omnia quæ asseverare soles in symbolis tuis Melissaneis ad lectorem, et præsertim in ultima « De Deo capto » intitulata, ea tamen non dicam iram (impossibilem erga te !) sed indignationem vehementem meam excitant.

Quæ cum ita sint, dicent quidam, « Non omnino assentior » præscribere debebam potiusquam « Omnino non assentior » ! Hoc rectius videtur ; attamen reprobationem absolutam exprimere volo erga intentionis tuæ fundamentum. Qua de causa, consulto iterum dico : omnino non assentior !

Agitur de eventuum interpretatione, de philosophia, de propositis sive conclusionibus tuis in rebus religiosis divinisque.

Me bene intelligi volo : verum est cultum Mahumetanum congruere non posse cum occidentali cultu hodierno. Verum est hunc laicum factum esse. Verum est plebem vocatam Christianam olim fuisse tamquam periculum ingens atque magnam imperii Romani deletionis causam. Quodam modo (licet simpliciter) introductionem religionis Semiticæ intra Romanitatem haberi posse assentior ultionem « Carthaginis ».

Item, tibi assentior de integritate muslimo, de immigratione, de locis publicis minus minusque securis etc. Hæc omnia nobis periculo vero et magno sunt. Cultus civilis noster in magnum discrimen adductus est, sine dubio. Sed qua de causa ? Suntne explanationes rationesque conclusionesque tuæ rectæ ? Hinc valde divaricant, optime Gai, viæ nostræ !

Si te bene intellexi, sufficeret (melius : suffecisset) aut deleri aut negligi aut emasculari imprimis

Iudæorum Sancta Biblia (multa horrida ac scelera continentia), deinde eorundem *Midrashim* (unum *rabba* alterum autem *bagadol* vocatos), deinde *Talmudim* (unum minorem [i.e. x volumina] Hierosolymorum, alterum maiorem [xx volumina] Babylonis vocatos), deinde *Librum Splendoris* sive *Zobarem* (x volumina) omniaque scripta traditionis Hebraicæ quæ hic enumerare non possum. Deinde prohibere, seu proscribere deberemus nobilem Coranum qui artem scriptionis ac musicam miram necnon carmina mirabilia suscitavit, deinde omnes commentarios coranicos, totam *sunnam* quam vocant, omnia « dicta prophetæ » *hadith* vocata etc.

Denique, oporteret evanescent (minorem tamen in modum, quia, secundum te, cultum politiorum quidem ac superiorem siverunt, quamquam inferiorem cultu pagano) Evangelia ipsa (et apocrypha numerosa !!!), deinde Patrum scripta, a Clementis Alexandrini protreptico usque ad litteras Damasceni, fortasse etiam si fieri potest (sed non absoluto necesse est quia non legitur iam) Summa Sancti Thomæ, et tandem, tandem tranquillitatem habebimus, admirabilem cultum civilem adipiscemur...

Qualem cultum, qualem tranquillitatem, amice ! Fortasse talis pax illa erit qualem tu desideras. Sicut tu, libertatem amo, et certe Bruxellis tutus ambulare volo. Violentorum stupidorumque potentiam horresco. Fortasse etiam mores tui et mei proximi sunt atque novos adoptare nolumus. Nos cogi ovem sacrificare in cella balnearia difficile tolerarem !

Attamen, deam tuam adorare, i.e. rationalismum quem contendis esse veram Græcorum hereditatem, mihi multo molestius esset. In dogma enim impium progressus scientifici numquam credam ! Etsi quotidie nobis nova miracula technica proponit (quibus me uti ac frui fateri debeo), nulla est ratio cur non censeam hominem ad suam perditionem currere, præsertim quod lumina traditionis respuere pergat.

Ecce ubi sit dissensio inter nos. Tibi funditus nulla habetur omnis manifestatio divina. Ipsum cuiusque formæ revelationis divinæ principium tibi horrorem excitat. Hucusque nemo (neque ego) positionem tuam contemnere potest. Non solum tibi ius est existimare et revelationem et innumerabiles eius consequentias nihil aliud esse nisi immensam generis humani imbecillitatem.

Ego tamen qui (sicut plurimi contemporanei tui præsertim post Sovietici imperii deletionem !) contra opinor, solum aliqua proposita positionis meæ proferre volo. Omnis enim res ab externa parte aspecta vel analizata inintelligibilis est. Te autem admittere sive

introducere intra templum illud in potestate mea non est (immo peccatum esset !) præsertim si firma voluntate renuis...

Conatum ergo meorum difficultatem metior, ego qui licet ab interna parte ecclesiæ specularia admirans eorumque delectatione fruens, solum aliqua argumenta exponere possum ut extraneos errores tuos demonstrarem.

Primus error : ut multi solent (cum credentes tum alii) confusionem facis (consulto sit necne nescio) inter rem religiosam et moralem.

Nam etsi illis qui potentiam spiritalem detinent (atque quorum manus inter potestas sæcularia sive politica, aut fortunæ gratia aut vi, satis mature cecidit) sæpe contingit ut necessario etiam populum moderari debeant, ritus, festa necnon certamina etc. instituendo, hoc tamen nullo modo significat primum cuiusdam traditionis scopum pertinere ad potentiam mundi huius assequendam.

Non debent ergo confundi cum Che Gevara aut Lenino Buddha, Iesus, Pythagoras neque Mahometus qui saluti immortalitatisque entis humani studebant. Illi enim in hunc mundum credebant ; hi contra immunum habebant mundum !

Sicut hodierni, regentes antiqui bonum publicum communeque atque populi tranquillitatem curare debebant, quod tamen non erat præcipuum. Scientiæ enim a maioribus (præsertim Ægyptiis) hereditatæ symbola tradere debebant. Agebatur igitur de memoria in populorum carne imprimenda scientiarum quarum clavem possidere ei non licebat. Hoc necessabat multa eis imponere : res molestas, ritus fatigantes, sacrificia, officia iussaque omnis generis sed etiam res hilares, gaudia multifaria etc. in quibus persona humana pauci æstimabatur. Quæ bene scio nunc iugum intolerabile a plerisque nostrum Occidentalium laicorum factorum censi.

Sed fatearis, Gai : illi qui olim ieiunium tempore Quadragesimæ bis in septimana observabant vel a carne Veneris die abstinere solebant, num tibi erant periculo in viis magis quam illa plebs Belgica hodierna pelliculis stupidis nutrita atque nulla fide nec lege frenata ? Num sincere credis Muslimos meliores factum iri religione sua ablata ?

Certe illi ritus, moribus civilibus mixti, etsi funditus idem docebant, varietate magna exprimebantur secundum varias nationes. Certe etiam, quotiescumque contagio nimia facta est, i.e. cum natio quædam alii imperium suum imponere voluit, res sæpe male se habuerunt. In hac re, fateri cogimur Paganos, tolerantiores quam soboles Abraham, cultus extraneos melius accepisse quam eos. Imperatores Romani e.g. boves

sacrificabant deo Iudæorum Hierosolymis. Rem inversam numquam imaginari potuissent Iudæi !

Quidquid id est, utriusque, Pagani et Hebræi, Ægyptiorum heredes, singuli suo quidem modo proprio, sacra mysteria colebant. Quæ nullo modo pertinebant ad rationalismum « Hellenismi libertatem cogitandi », a te, Gai, vocatum. Soli Iesuitæ quorum doctrina fructus es tibi instillare in mentem potuerunt Græcos fuisse atavos spiritus nostri sicci exossatique qui nobis telephorum gestabile quidem adduxit atque turres ingentes facile debiles sed nullo modo animi pacem nec corporum resurrectionem !

Secundus error : abusus rei cuiusdam non significat rem ipsam falsam esse. Num scientia medica falsa est quod multi existant præstigiatores ac errores ?

Idem in artibus, in rebus politicis etc.

Qua de causa, etsi sæpissime per sæcula regentes multi potestate spiritali abusi sunt, non licet statim decernere religionem esse eorum scelerum causam. Econtra, fortasse, sine religione vel doctrina peius illi egissent. Insuper sæpissime accidit ut veri conditores religionis seu philosophiæ necarentur. Pythagoras e.g. occisus est multis cum discipulis. Iesus et duodecim apostoli necati sunt. Veri discipuli Mahometi interfecti sunt ! Unusquisque oportet cogitet quid hoc significet !

Tertius error : tempora hodierna minime e Renascentia oriuntur. Econtra, Renascentiæ mirandi conatus mox submersi sunt sub fluctibus rationalismi. Cartesianismo regnante, philosophia perennis (philosophia « per ignem » vocata) velociter evanuit a legionibus suffocata cogitatorum, virorum litteratorum qui persona sua occupati, scholas peculiare ita multiplicaverunt ut hodie quasi unusquisque bona fide censeat numerum philosophiarum valere numerum philosophorum. Attamen φιλοσοφία vera « sophophiliam » non indicat i.e. sapientiæ amorem, sed potius vocem (-ία) peritiæ (-σοφ-) amoris (φιλο-).¹

Hæc autem pendent a notione salis secreti cuiusdam qui est vinculum amoris universalis...

Solæ Ecclesia atque aliqua societates symbola servaverunt antiquæ Ægyptiacæ scientiæ ; attamen sæpe ignorabant valorem thesauri quem ipsæ transportabant. Qua de causa innumerabilibus rationalismi ac scientiarum profanarum ictibus resistere non valuerunt.

Quartus error : omnis revelatio mythis utitur. Qui vocari possunt fabulæ vel parabolæ etc. Quidquid id est, omnis doctrina religiosa tradita veritatem abscondi sub revelationis velo docet. Ausulta quid Iesuita ipse Menochius scripserit : « Negant hæretici sacram Scripturam obscuram esse, et intellectui difficilem... »² Et : « ... modo loquendi sacræ Scripturæ quæ metapho-

ris abundat, allegoriis, catachresibus, antiphrasibus, quæque multa symbolis involuta de industria proponit.»³

Doctores ergo numquam res ad litteram accipiunt. Sola autem plebs verba ac mythos sive parabolas accipere solet tales quales sonant. Qua de causa intellegere non possum quo miraculo fieri possit ut istam plebem imitari velis. Fortasse id consulto agis quia hoc tibi utile est ut demonstres violentiam radicem suam tenere e nucleo ipso religionum i.e. e Scriptura sancta. Sed noli, amice, precor, Romanitatis vel artis diplomaticæ causa, Christianismum excipere. Ubi inter Christianos sunt lusi qui consulto oculum suum effoderunt vel manum secuerunt ad præcepta Iesu servanda?⁴

Nonne etiam proposuit Christus ut qui scandalum effecerunt, mola collo præligata proicerentur in mare?⁵

Item, Christiani divites camelos acquirere deberent atque acus ad aliquas exercitationes faciendas. Quis scit? Sic fortasse modum intrandi in regnum Dei invenirent!⁶

In rebus ergo illis Coranus, Biblia et Novum Testamentum inter se parum differunt. Referti enim sunt hi scripti rebus horrificis incredibilibusque et iucundis quoque. Attamen quid de textibus Paganorum!

Quid de Græcis apud quos « Pater deorum hominumque », i.e. Zeus, filium suum Vulcanum pede proiecit e limine sacro quod se interponere ausus esset inter matrem et patrem, rixantes ut sæpe? Misellus,

post diuturnum volatum, in pessimis condicionibus appulit. Ab autem tempore illo ineleganter claudicat.⁷ Ridiculum! Intolerabile! Mirabilis Græcorum rationalismus!

Conclusio: si Occidentales animam suam religiosam philosophicamque non amisissent, sique adhuc scient cuius generis esset thesaurus absconditus sub ritibus moribusque populis impositis a sapientibus, eos multo melius respicerent admirarenturque. In loco eis iterum et iterum substituendi novas ideologias, idolatriam illusionesque, eis magno cum silentio studerent. Ego Occidentalis Romanusque toleransque, paratus non sum ut eos mythos repudiem. Econtra, magno cum studio amoreque eos disco atque ex eis doctrinam sublimem exhaurio. In traditionum mearum ac alienarum siccatione causam calamitatum, infortunarum, incommodorumque multo maiorem adspicio quam in collisione cultuum civilium. Hanc, contra opinionem tuam, Gai, fovent et laicismus et machinismus qui, meo sensu, degenerationis debilitationisque indices sunt sicut iam Baudelaire bene denunciaverat. Hi rationalismi fructus impediunt ne barbarorum tum internorum cum externorum invasionibus viriliter quidem sed intelligenter resistamus.

Sicut corpus a spiritu relictum, densitas occidentalis putrefit. Incarnatio nostra vertitur ad fimum. Multi muslimi debilitatem nostram animadvertunt. Item nos-




Fig. 1




Fig. 2

trates multi in Islam inque Buddhismo quærunt id quod hic non iam inveniunt.

Speremus ergo ut inter invasores nostros qui potestatem usurpabunt, quidam futuri sint regentes egregii qui sensum absconditum sciant morum quos nobis imponent aut qui nobis remanebunt, simul ac multis ritibus (sive cum sive sine velo !) in dictione sua omnes sceleratos contineant qui nostræ vitæ hodie in viis minantur !

Tibi autem, Carissime Gai, tempore quo rationalismus ac fides tua in progressum technicum recederint, opto ut agni Paschalis sanguis, ilius arietis zodiaci quem Abraham sacrificavit et qui tollit peccata mundi, auxilio aliquando sit, etsi sicut a me, ritus ipse longe a sensibus tuis ac cella balnearia tua abhorret !

Immo, spero ut ignis divinus, de Cælo delapsus et claudicans factus, i.e. ille Hephæstos-Vulcanus qui materia (Græce ὕλη, i.e. silva aut ligno) nititur ac utitur (sancti Iosephi instar), tibi arma fabricet quæ te protegant in altero mundo !

Post Scriptum :

Gryllus a Gaio exhibitus in symbola « De Deo Capto » intitulata (fig. 1)⁸ sensum multo ponderosorem continet quam illum qui primo aspectu apparet. Alludit enim ad famosa asini mysteria iam bene nota apud Ægyptios. Nam Set-Typhon, Osiridis frater interfectorque ab Horo castratus est, ad pali sinistram par-



Fig. 3

tem alligatus (fig. 2).⁹ Nota bene formam illius pali. Quæ enim est *i* Græci i.e. bicornuti. Adspice nunc iterum « gryllum » et videbis illum Y ad dexteram asini partem. Septuaginta Interpretes per tota Biblia terminum asini (Hebraice *bamor*) numquam recte vertere voluerunt. Timebant enim ne mysteria asini nimis dilucida fierent... Plurima dicere possum de asino illo qui non solum infantem Iesum in præsepio recalfaciebat sed etiam Sanctam familiam vexit in Ægyptum et rursus Iesum ipsum Hierosolyma. Origenes ipse pater Ecclesiæ, agnoscit solum vehiculum Christi, i.e. asinum eius, fuisse crucifixum... Quicumque plura scire velit, interroget Sanctum Nicolaum... De autem *i* Græco, adspice fig. 3,¹⁰ qua intelliges eandem litteram continere duplicem doctrinam... ❖

1. Cf. Anonyme, *La Vérité ou Les Mystères du Christianisme approfondis radicalement et reconnus physiquement vrais*, Londres, MDCCLXXV, vol. 1, pp. 47 et 49.

2. *Sainte Bible* (trad. R.P. Carrières), *Commentaires de Menochius*, Besançon, MDCCLXXXI, vol. 1, CAP. XIX, p. XXIX.

3. *Ibidem*.

4. Cf. *Matth.*, V, 29-30.

5. Cf. *Idem*, XVIII, 6.

6. Cf. *Lucas*, XVIII, 25.

7. Cf. *Iliadem*, 1, 590-594.

8. E symbola Gaii Licoppe (*Melissa* 131, p. 2).

9. E libro Emmanuel d'Hooghvorst, *Le Fil de Pénélope*, éd. La Table d'Émeraude, vol. 1, Paris, 1996, p. 297.

10. *Idem*, p. 42.

N.B. In proximo *Melissæ* fasciculo altera ad idem scriptum responsio exhibebitur, a Volfgango Jenniges conscripta.

IN TARTARIAM (II)

– scripsit Francisca Deraedt –

« Excellentissimo¹ domino et christianissimo Ludovico, Dei gratia Regi Francorum illustri, frater Willelmus de Rubruc in Ordine fratrum Minorum minimus, salutem et semper triumphare in Christo. Scriptum est in Ecclesiastico de Sapiente : In terram alienarum gentium transiet, bona et mala in omnibus temptabit.² Hoc opus, domine mi Rex, feci, sed utinam ut sapiens et non ut stultus : multi enim faciunt quod facit sapiens, sed non sapienter, sed magis stulte, de quorum numero timeo me esse. Tamen quocumque modo fecerim, quia dixistis mihi quando recessi a vobis, ut omnia scriberem vobis quaecumque viderem inter Tartaros, et etiam monuistis ut non timerem vobis scribere longas litteras, facio quod iniunxistis, cum timore tamen et verecundia, quia verba congrua mihi non suppetunt quæ debeam tantæ scribere maiestati. »

Ex hac dedicatione statim apparet Guillelmi de Rubruc eruditionem in Sacra Scriptura positam esse, qua, monachus cum sit, ad omnia describenda sæpissime nititur. Non raro etiam regulam sancti Francisci memorat, cum in hoc ordine frater minor sit. Quid præterea ? In itinere secum habet Petri Lombardi Librum Sententiarum. At videtur etiam classicis auctoribus satis imbutus esse. Talis doctrinæ luce novas res circum circa observat intellegereque conatur, non tamen absque proprio iudicio, ita ut semel etiam accidat ut ipsissimum Isidorum Hispalensem audeat redarguere, mare Caspium describens : « Quattuor mensibus potest circumdari, et non est verum quod dicit Ysidorus quod sit sinus exiens ab oceano. »³ Ceterum relationes paulo ante factæ, qualis est ea Iohannis de Plano Carpini, ei sunt notæ ; insuper in itinere omnes tam avidè interrogare solet de geographia, populis, moribus, linguis, scribendi modis, religionibus, ut re vera multa conferat ad noscendas illas regiones.

At iter una cum Guillelmo de Rubruc incipiamus. « Noverit ergo vestra sancta maiestas », narrat monachus, « quod anno Domini millesimo CCLIII nonas Maii ingressi sumus mare Ponti quod vulgariter vocant mare Maius. » Ergo die 7 m. Maii a. 1253 Guillelmus de Rubruc Constantinopoli profectus ingreditur Pontum Euxinum. Post quattuordecim dies navigationis, inter quos præcipue incumbit in geographicas investigationes, appellit ad urbem Soldaiam (*Sudak* in Chersoneso Taurica), magnum emporium ubi « applicant omnes mercatores venientes de Turchia volentes ire ad terras aquilonares, et e converso venientes de Roscia⁴ et terris aquilonaribus volentes transire in Turciam.⁵ Isti portant varium et grisium⁶ et alias pelles pretiosas, alii portant telas de cotone sive wambasio⁷ et pannos sericos et species aromaticas. »

Quidam autem mercatores eum ex urbe Constantinopoli præcesserunt, qui curarent ut iter monacho aperiretur. Quod in his turbatis regionibus, ubi aliæ civitates Tartaris obœdiunt, aliæ resistunt, non necessario fit facile : « Applicuimus ergo Soldaiam XII kalendis Iunii. Prævenerant nos quidam mercatores de Constantinopoli qui dixerant venturos nuntios illuc de Terra Sancta, volentes ire ad Sartach.⁸ Ego tamen prædicaveram publice in ramis palmarum apud Sanctam Sophiam quod non essem nuntius nec vester nec alicuius, sed ibam apud illos incredulos secundum Regulam nostram. Tunc cum applicuissem, monuerunt me dicti mercatores ut caute loquerer, quia dixerant me esse nuntium, et si dicerem me non esse nuntium, quod non præberetur mihi transitus. »⁹

Guillelmus tunc adit civitatis præfectos. Hi, audientes monachum litteras regis Francorum « de utilitate totius christianitatis », id est de Sarracenis una debellandis, ad dominum Sartach ferre, eum benigne recipiunt hospitiumque præbent in ipsa ecclesia episcopali. Cuius episcopus, qui principem Sartach bene novit, de eo « multa bona dixit mihi, quæ ego postea non inveni. » Brevis sententia pæne obiter scripta, sed quæ futuras deceptiones iam sinit suspicari.

Ad sarcinas portandas ei proponuntur sive bigæ a bobus tractæ, sive equi. Mercatores suadent ut bigas accipiat, in quos condere possit omnes res suas, cum equo vectum cottidie oporteat in deversoriis omnia de equis deponere rursusque in alios equos reponere. Monachus eorum consilium sequitur, cuius tamen mox pænitet, cum sic multo lentius progrediatur, quam solis equis præditus.

Itaque die primo mensis Iulii Guillelmus de Rubruc proficiscitur cum quattuor bigis coopertis a se ipso emptis, aliis duobus a Soldaiæ primatibus oblati et quinque equis. « Eramus enim quinque personæ : ego, et socius meus frater Bartholomæus de Cremonia, et Gosset, lator præsentium, et homo Dei turgemanus,¹⁰ et puer Nicolaus quem emeram Constantinopoli de vestra¹¹ eleemosyna. Dederunt etiam duos homines qui ducebant bigas et custodiebant boves et equos. »

In primam bigam monachus dona diligenter recondit, quæ mercatorum consilio secum attulit principi offerenda, nam « nullus apud eos respicitur rectis oculis qui venit vacua manu. »

In via transeuntur regiones montanæ, castella a Gothis occupata, silvæ, ingens planities in qua, ante Tartaros, Comani vivebant, sævi homines qui tributum a vicinis exigebant concivesque mortuos comedebant crudos, « sicut canes cadavera », lacus permulti, salinæ Mongolis fructiferæ.

Iam autem tertio die, postquam Soldaiam reliquerunt, Tartaros inveniunt, « inter quos cum intravi, visum fuit mihi recte quod ingrederer quoddam aliud sæculum, quorum vitam et morem vobis describo prout possum. »

Tartari, ait Guillelmus, « nusquam habent manentem civitatem sed futuram ignorant. »¹² Sciunt tamen qui sint fines campi sui – hæc enim terra est inter eos secundum singulorum præstantiam divisa – et ubi singulis anni temporibus pecora pascere debeant.

Ut has frequentes domicilii mutationes facile possint suscipere, domus habent subrotatas, id est in ipsis bigis exstructas ; earum structura constat e virgis, parietes autem e pannis polymitis, quorum Guillelmus de Rubruc admiratur ornationem : « Matronæ sibi faciunt pulcherrimas bigas, quas nescirem vobis describere nisi per picturam, immo omnia depinxissem vobis si scivissem pingere. »¹³ Et magnitudo digna est quæ commemoretur : possunt enim esse triginta pedes latæ, interdum tam magnæ ut viginti duo boves necessarii sint ad bigam trahendam.

Divites Tartari multas huiusmodi bigas habere possunt, usque centum ducentasve. Princeps Batu, ut eum pro exemplo habeamus, viginti sex habet uxores, quarum singulæ non solum suam habent magnam domum, sed etiam alias minores, in quibus vivunt ancillæ. Nec necesse est eas in migratione iuvare : nam « una muliercula ducet viginti bigas vel triginta, terra enim plana est. Et ligant bigas cum bobus vel camelis unam post aliam, et sedebit muliercula in anteriore minans bovem, et omnes aliæ pari gressu sequentur. »

Cum eas deponunt in terram, ostium semper vertunt ad meridiem, atque uxores, si plures sunt, sua domicilia secundum ordinem prædispositum instruunt, ita ut familia unius Tartari videatur integrum oppidum implere, quamquam re vera non tam sint multi. Ritus domesticos longum est singillatim describere ; pertinent ad singulorum positionem, nam oportet feminæ ad sinistram domini domus inveniatur, viri autem semper ad dextram, pertinent etiam ad quasdam imagines in domo suspensas et ad libationes variis occasionibus variisque modis faciendas. Libandum enim est in supradictas imagines, extra domum ad meridiem, postea ad orientem, occidentem et aquilonem, libandum est in terram antequam bibas, in equi collum si equo sedens potaturus es, est libandum ubique.

Sed quid bibunt hi nomades ? Vinum certe, quod e longinquo curant apportandum. Sed ipsi hieme etiam conficiunt « optimum potum de risio, de milio, de tritico, de melle, clarum sicut vinum ». Æstate autem « non curant nisi de cosmos ». Quid sit cosmos, in

proximo Melissæ fasciculo videbimus. Finem autem hodie faciamus hac iucunda de bibendo narratione : « Cosmos stat semper infra domum ante introitum portæ, et iuxta illum stat citharista cum citherula sua. Citharas et viellas nostras non vidi ibi, sed multa alia instrumenta quæ apud nos non habentur. Et cum dominus incipit bibere, tunc unus ministrorum exclamat alta voce : 'Ha !' et citharista percutit citharam. Et quando faciunt magnum festum, tunc omnes plaudunt manibus et etiam saltant ad vocem citharæ, viri coram domino et mulieres coram domina. Et postquam dominus biberit, tunc exclamat minister sicut prius, et tacet citharista. Tunc bibunt omnes in circuitu viri et mulieres, et aliquando bibunt certatim valde turpiter et gulose. Et quando volunt aliquem provocare ad potum, arripiunt eum per aures, et trahunt fortiter ut dilatent ei gulam, et plaudunt et saltant coram eo. Item cum alicui volunt facere magnum festum et gaudium, unus accipit scyphum plenum, et alii duo sunt ei a dexteris et a sinistris, et sic illi tres veniunt cantantes et saltantes usque ad illum cui debent porrigere scyphum, et cantant et saltant coram eo ; et cum porrigit manum ad recipiendum scyphum, ipsi subito resiliunt, et iterum sicut prius revertuntur ; et sic illudunt ei ter vel quater retrahendo scyphum, donec bene fuerit exhilaratus et bonum habeat appetitum, et tunc dant ei scyphum, et cantant et plaudunt manibus et ferunt pedibus donec biberit. »¹⁴ ❧

1. *Sinica Franciscana*, Vol. 1, *Itinera et relationes Fratrum Minorum sæculi XII et XIV*, ed. A. Van den Wyngært, Firenze, Quaracchi, 1929, p. 164. In textu citando nihil mutavi nisi, quo lectio facilius fieret, parvas res orthographicas.

2. *Ecll.* 39, 5.

3. *Op. cit.*, XVIII, 5, p. 211.

4. Sive Roscia in ore fluminis Tanais (*Don*), sive potius Ruscia, id est Russia.

5. Turciæ aliorumque locorum variabilem orthographiam ita servavi, ut in editione ostenditur.

6. Editor putat hic alludi ad sciurum et herminiam.

7. I.e. gossypium.

8. Sartach filius Chani Batu dicebatur religionem profiteri christianam.

9. *Op. cit.*, I, 6, p. 168 sqq.

10. Adnotatio editoris : « Homo Dei idem vult ac Abd-ullah, seu servus Allah ; turgemanus vero est vox Arabica tarjuman aut Turca terguman ad interpretem designandum. » *Op. cit.*, p. 170, adn. 3.

11. Id est regis Ludovici IX.

12. *Op. cit.*, II, I, p. 172. Cf. *Hebr.* 13, 14 : « Non habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus. »

13. *Op. cit.*, II, 4, p. 173.

14. *Op. cit.*, II, 9-10, p. 175-176.

DE MORIBVS TARTARORVM

- scripsit Michalo Lituanus -



Domi hospiti cuilibet obiterario et ignoto exponunt gratuito et cibum et nidum, sed eminus a serie stativarum suarum, quoniam alias non adeo iam sunt civiles, quippe qui feminas suas ab hospite, amico etiam et conviva quantumcumque gratioso, conspici nequaquam licitum habent, tenentque miseris caveis suis abditioribus reclusas et nedum conviviorum sed synagogarum quoque et omnis consuetudinis forensis penitus expertes, laboribus etiam omnibus sartoriis et sutoriis reiectis in eas, sed neutiquam tamen invitatas.

At ipsi interim non sunt contenti coniugiis earum singuli singulis, more hominum prisco, in hoc se iactantes, itidem et lege sua suadente uxores unicuique quaternas, et in singulas earum pellices denas. Et quo perfectiores præsent se viros, non divitias quærunt sponsarum, nec species earum corporales, copulanturque eis minime a se antea in facie visis, sed animis dumtaxat moribusque earum exploratis; et non dedignantur in coniugia ancillas quoque suas captivas ac empticias. Unde habent eas in matrimoniis constantes, morigeras, invicem concordantes, et pellicibus suis in gratiam maritalem æquanimes, item pudicas, ut inauditum sit penitus in eis adulterii crimen, capitale alioqui, et nece expiandum illico.

Et præterea, cum intelligant barbari illi nihil salubrius esse gentibus virtute et disciplina militari, in arduitateque consistere virtutem, ideo mollitiem et voluptates aversando, asperitati vitæ necnon equitati ob rem bellicam student ex infantia, et iam inde ab incunabulis gestantur inequitando, nec desuescunt equitare vel decrepiti. Vehiculi vero usum vetuli

quoque vel valetudinarii detestantur, mollitiem devitando et parcendo equis.

Parci enim sunt equorum, adeo ut Baro etiam eorum equitet intra patriam solus, qui foris centenis concomitatur equitibus suis peculiaribus.

Et mulier apud illos etiam primaria, et vel Cæsaris necessaria, regiam accessura, non verecundatur caveæ suæ obturatæ reclusa, auro vel gemmis intro nitens, bove vehi uno, aut propter plaustrum grossitiem duobus. Equum autem vel deterrimum iungi vehiculo, nefas est et religio cuilibet eorum, millenos etiam in equitiis suis habenti equos.

Est autem vita hominum illorum tætrica, sic et austera vulgo eorum communis, at non principibus, quoniam principes Scytharum in publica populorum suorum frugalitate ipsi lautius interim vivunt. Ut Precopensis¹ modernus Cæsar, negotio bellico in filios nunc reiecto, ipse propensius voluptatibus intendit, in topiariis mulierum suarum, intra viridarium quoddam, amœnitate loci, necnon ædificatu, cultu, herbarumque ac arborum varietate, et quincunciali earum situ elegans.

Quo quidem in paradiso suo, hospites etiam exceptat ille conviviiis opiparis, licet ipse quidem velut fastidio et contemptu divitiarum ligneis et fictilibus vescens ex vasculis, attamen auratis innitens pulvinaribus et cubitis et pedibus, ad argenteamque discumbens mensam, aureis et gemmatis oneratam phialis, et variis lasciviens dapibus, necnon melodiis fidium, cymbalorum, crotalorum, psalmodiarum, aliisque nugis ostentans delicias suas, liberiusque licere sibi ea præsumens in publica populi continentia.

Agunt vero populi Tartarici continenter auscultantes Sacræ Scripturæ dicenti: vinum non bibetis, domum non ædificabitis, sementem non seretis, vineas non plantabitis. Sed in tabernaculis habitabitis, ut vivatis diebus multis super faciem terræ. Sic ergo vivunt illi super faciem terræ diebus multis liberi, immunes et ab ultimo suo excidio tuti semper, dum deliciis contemptis, nihil fixum expugnationique obnoxium possidentes, tota ipsorum quocumque migrent comitentur eos substantia. Quam ideo fugitivarii ipsi conditant sibi universam in mobilibus, in moventibus sese pecoribus ac etiam servis. ❧

Russia seu Moscovia itemque Tartaria, Lugduni Batavorum ex officina Elzeviriana, 1630, p. 204-207.

1. Tartaria Precopensis, sive Tartaria Minor, patet inter Pontum Euxinum, paludem Mæotidem et Moscoviam.

CAROLI DE COMITIBVS, POETÆ ROMANI,
QVI CATVLLVM SÆCVLO XVII EST IMITATVS,
CARMINA EDITA ATQVE INEDITA (II)

– quæ proposuit Theodericus Sacré –

I. [De Hyella ægrotante] ¹

Cantatrix miserandum in morem ægrotat Hyella,
quam repetunt Veneres, quam repetunt Charites.
Vox illam fugit, fugit color et lepor ille,
quo ipsam mi modulans sæpe animam eripuit.
Pallidulo vultu insedit macies : rosea olim
labra heu frigenti candidiora nive
mortem instare docent ; tremit artubus atque oculi se
destituunt, nec me dulcis Hyella videt.
Dulcis Hyella olim nunc est absinthio amaro
tristior, aut si quid tristius esse potest.
Phoebe pater (nec te quid possint gramina fallit),
affer opem miseræ, quæ prope fata iacet :
Aonio sic te deduxit vertice cantus !
Si cithara præstanti illius icta manu,²
si flos illi intactus ut est Musis viget, et si
iure potest credi Pieridum decima :
te meminisse decet misere morientis Hyellæ,
quæ eripiet miseram mi moriens animam.
Parce, precor, mors atra manus ; floret iuveni ætas ;
non deerunt quæ te sponte sequantur anus.
Hanc igitur sic aspicio ? Hæc est illa Venus, qua
nil natum est, nil nascetur amabilius ?³
Verum, lux mea, in his tenebris quoque tolle oculos et
me aspice, ne omnino a te hinc abiens peream.
Nam quid erit reliquum mihi si te mors forte abstrahat
a me ?⁴

Quod fieri numquam Iuppiter ille sinat !
Ut mærens Orpheus abreptæ coniugis ira,
me abdam aliqua in silva, flens ubi solus agam,
aut etiam præceps celsi de culmine saxi,
ne vivam, in fluctus æquoris insiliam.

2. [De Hyella convalescente] ⁵

O diem mihi candidum et beatum !
Formosissima Hyella iam valet, iam
fundit carmina, qualia ipse Apollo
cum tangit citharam manu erudita
solet concinere audientibus dis
et stupentibus. Et redit color iam
genis luxque oculis, nitetque tota.
O diem mihi candidum et beatum !

3. Exc[ellentissim]orum Principum Olympiæ et Maphæi
Barberini epitthalmium

Hoc carmen ineditum servatur in Bibliotheca
Vaticana (cod. ms. Vat. Lat. 6910, ff. 262r-263v, et Chig.
D.III.40). Maphæus Barberinus, Thaddæi (1603-1647) prin-
cipis et Annæ Columnæ filius idemque princeps
Prænestinus, anno 1631 natus, die 15 m. Iunii anni 1653
uxorem duxit Olympiam Giustiniani (1641-1729), Andreæ
principis et Annæ Mariæ Pambiliæ filiam ; puella ter-
tium et decimum tum agebat annum. Hos ipse matrimo-
nio iunxit Innocentius X P.M. (1644-1655) e gente
Pamphilia. Hoc connubio sedatæ discordiæ, quæ inter
Barberinos et Pamphilios dudum erant ortæ ; itaque dissi-
diis coniugio eo compositis altior exsurrexit poeta. Unde
autem exemplum ille sumpserit cum hymenæum esset
compositurus patet manifesto ; nam Catullum ita secutus
est Carolus, ut centonarium pæne egerit, id est e poetæ
Veronensis carmine uno et sexagesimo centonem prope
confecerit, argumentum inde, dispositionem, verborumque
iuncturas mutuatus metraque eiusdem licet imperfecte
imitatus (nam, si IV choriambicos glyconios I assectatur
pherecratius, frequenter admissi vocalium concursus, ubi
a Catullo vitabantur, utputa inter versum alterum
exeuntem, ineuntem alterum : videsis vv. 3-4 : reviresce-
re/urbis, vv. 7-8 : lyra/aptet, vv. 14-15 : viri/inclytæ, et
ita porro).

Si quis Aonio e iugo
prosilit deus audiens
illius revirescere
urbis imperium, illius,
quæ caput fuit orbis,

in meos veniat Lares
tinnulaque⁶ modos lyra
aptet, ut veniens quoque
gentis hæc domina omnium
gaudia hauriat ætas.

Barberina domus, tibi
debet Romula plurimis
terra nominibus : sinu
prodiere tuo viri
inclytæ decora urbis.

Sed dabis (neque enim decet
finibus premere unius
sæculi genus aureum)

vividam sobolem cito
quæ augeat tibi nomen.

Io Hymen, Hymenæe Hymen.
Nubit alite cum bona
His diebus Olympia ;
nubit alite cum bona.
Hymen o Hymenæe.

Tollite, o pueri, faces
et deducite virginem,
limen ne pede tangat, et
ponite, obsecro vos, moram :
Vesper exit Olympo.

Quid puella moratur ? En
sustulere faces : eat !
Non potest genitricis e
pectore abstrahi ; at hora abit
felix : ire necesse est.

Iam tenellula prodeat⁷ huc
virginum comitantibus
pluribus ; celeri pede
appropinquat Hymen : abi,
Vesper exit Olympo.

Prodiit. Bene ! Sed dolet
quis ? Mihi videor sonum
audivisse gementium.
Livor improbe, abi, hinc abi,
ne opprimare tumultu.

Fascinum Venus inspuit :
livor improbus hinc abit.
Concinite, o pueri, in modum.⁸
Hymen o Hymenæe ades,
Hymen, o Hymenæe.

Limen ingreditur viri.
Quid morare ? Toro in tuo est
virgo ceu roseum iubar.
Tandem sparge nuces. Ades,
Hymen, o Hymenæe.

Absit hinc, precor, impudens
fescennina locutio.
Fas servire Thalassio.
Sed frenate licentiam,
sponsa ne ferat ægre.

Vicimus ! Mulier novo
pendet e viro eum implicans
ut tenax hedera arborem
arcte brachiolis tenet.
Hymen, o Hymenæe.

Liberos serite ; hauriat⁹
Pontifex oculis suis
mentis hoc quoque gaudium, et
Barberina iterum domus
cæli limina tangat.

4. Ad Natalem Rondininum¹⁰

*Natalis ille Rondininus non ignobilis erat poeta
Latinus idemque cum Basilicæ Vaticanæ canonicus, tum
Alexandro VII Cbisio (1655-1667) P.M. ab epistolis ad prin-
cipes ; carmina eius leguntur inter Septem illustrium
virorum poemata (Antverpiæ, 1660, etc.) ; anno 1657
immatura est præreptus morte, cum annos XXX nondum
complevisset.¹¹ Elegantissimum eius legitur epitaphium
Romæ in S. Mariæ de Populo.*

Rondinine, boni iacent poetæ ;
Suffenus¹² viget atque caprimulgus
ille Mævius. At meus Catullus,
quo nil purius elegantiusque
viderunt Charites Cupidinesque,
sordet pulvere, devorantque blattæ
molles hendecasyllabos, süave
tela aranea opus tegit venustum,
ni (quod mi Artius¹³, Artius, bonorum
vatum deliciæ, fatetur ipse),
ni, inquam, tu revoces meum Catullum.
At di dent tibi quæ cupis, poeta
candidissime, cui meus Catullus
donavit citharamque simplicemque
illam munditiam levesque cantus. ❀

1. *Carmina 1652*, pp. 17-18.
2. Pentameter Catulliano more factus ; nam admittitur elisa syllaba medio in versu ; ceterum ultima syllaba nominis *citbaræ*, cum sit casus nominativus, producitur tamen, sequentibus consonantibus duabus.
3. Pentameter genere Callimachus ; nam spondeus medius non alterius verbi fine neque alterius initio constat : cfr. L. Mueller, *De re metrica poetarum Latinorum præter Plautum et Terentium libri VII* (Lipsiæ, 1894 = Hildesiæ, 1967), p. 228.
4. Heptametrum poeta dormitans admisit pro hexametro !
5. *Carmina 1652*, p. 18.
6. tinnulaque *cod. Chig.* : tinnuloque *cod. Vat.*
7. Verbum synæresi disyllabum.
8. Claudicat ni fallor versus, cuius dactylica est basis. At sæculo XVII textus receptus a nostro distabat et v. 114 Catullianus ita fortasse legebatur : *tollite, pueri, faces* ; ceterum fieri potest ut ita opinatus sit poeta, sibi trocheum resolvere licere, quod Catullus breves duas in longam alibi contraxisset (61, 25 : *nutriunt umore*) ; cfr. 61, 116 : *ite, concinite in modum*.
9. hauriat *cod. Chig.* : haureat *cod. Vat.*
10. *Carmina 1652*, p. 31.
11. Cfr. J. Ernesti, *Ferdinand von Fürstenberg (1626-1683). Geistiges Profil eines barocken Fürstbischofs*, Studien und Quellen zur westfälischen Geschichte, 51 (Paderbornæ, 2004), passim ; M. Laureys, 'Ein Freundeskreis im barocken Rom. Einige Bemerkungen zu den *Septem illustrium virorum poemata*', in B. Körkel, T. Licht, J. Wiendlocha (edd.), *Mentis amore ligati. Lateinische Freundschaftsdichtung und Dichterfreundschaft in Mittelalter und Neuzeit. Festgabe für Reinhard Dückting zum 65. Geburtstag* (Myrtilleti, 2001), pp. 217-232 ; J. IJsewijn, 'Emblems in Honor of a Dead Poet (Natalis Rondininus)', in J. Manning, M. van Væck (edd.), *The Jesuits and the Emblem Tradition. Selected Papers of the Leuven International Emblem Conference 18-23 August, 1996*, Imago Figurata, Studies, 1A (Turnholti, 1999), pp. 297-306.
12. Suffenus pessimus appellatur poeta a Catullo, Mævius ab Horatio et Vergilio.
13. Poeta mihi ignotus.

AVT REGEM AVT FATVVM
NASCI OPORTERE

adagium 201

DE COLVCIO SALVTATI

– scripsit Victorius Ciarrocchi –

Etiam homines, qui ad summos gloriæ et laudis honores non pervenerint, commemorandi sunt, utpote qui eam sæpe operam navaverint, quam interdum non sine fructu et meliores doctioresve adhibuerint.

In illis igitur humaniorum litterarum studiosis forsitan haud excelsis, attamen minime spernendis, locum spectabilem occupat Linus Colucius Salutati, qui die 16 Febr. 1331 parvo in oppido provinciæ Pistoriensis natus est. Studiorum curriculo confecto, scribæ publici munus quibusdam in urbibus primo explere cœpit, deinde ex anno 1375 sicut Florentinæ Cancellariæ præpositus ita se gessit, ut ab Antonino Pierozzi, Florentinorum archiepiscopo, « vir probus et rectus » existimaretur. Nam Colucius non solum Florentinos hortatus est ut suam ipsorum libertatem defenderent maxime adversus Ianum Galeatium Visconti, qui nihil intentatum reliquit ut ducatus Mediolanensis fines latius propagarentur, verum etiam discordias intestinas, quibus Florentini magis forsitan quam ceteri Itali iam pridem laborabant, sedare indesinenter contendit.

Inter hæc gravia ac multiplicia munera explenda – cancellarius enim edictis, mandatis, epistulis et similibus actis conscribendis quæque ad eum mittebantur ipsis accipiendis legendisque præerat –, libros non paucos Salutati conscripsit, e quibus patet eius vitam duas inter ætates quodammodo gestam esse, mediam nempe quæ dicitur et illam, quæ e renascentibus artibus litterisque nuncupatur. Si quis ex. gr. Colucii opus *De sæculo et religione* inscriptum et anno 1381 editum evolvat, facile locos inveniat simillimos aliis libris, qui sæculo XII et XIII compositi sunt; exemplum: « Respicite, miseri mortales, quos usque adeo mundus iste delectat circumque respicite diligenter et scitote vos in huius vitæ miserandæ curriculo magnum hoc et spatiosum mare manibus navigare, in quo, sicut psalmista testatur, ‘reptilia sunt quorum non est numerus’; nihil enim huic mundo mari turbido convenientius comparatur » (*op. laud.*, L. I, cap. 24, 1).

In arte autem disputandi non mediocriter versatum se præbuit Colucius præsertim opere c. t. *Tractatus insignis et elegans de nobilitate legum et medicinæ, in quo terminatur illa quæstio: utrum dignior sit scientia legalis vel medicinalis*. Qui vir in huius operis capite XXXV ad quendam adversarium respondet ita: « Quod autem primo loco concludis, legum non esse scientiam cum definiendo dividendoque procedant, et cum habeant universalis sua, quæ non possint aliter se habere, sicut supra probatum fuit, falsissimum esse constat ».

Maiore autem vi Salutati in eos homines, qui libe-

ram Florentinorum rem publicam erant oppressuri, invectus est atque in ratione concertatoria talis fuit, qualis ex eius verbis in Ianum Galeatium Visconti die 25 Mai. 1390 scriptis ac totam Italiam vulgatis his appareret: « Tandem conceptum virus viperæ [nam insigne domus ‘Viscontæ’ serpente seu viperæ ornatum erat] complevit evomere, tandem fratres et amici carissimi serpens ille ligusticus ex insidiis et latebris exiens suum non potuit propositum occultare (...) Quid poterat aut debebat a communis nostri potentia formidare? Nos popularis civitas, soli dedita mercaturæ sed, quod ipse tanquam rem inimicissimam detestatur, libera, et non solum domi libertatis cultrix, sed etiam extra nostros terminos conservatrix, ut nobis et necessarium et consuetum sit pacem quærere in qua solum possumus libertatis dulcedinem conservare ». Magni enim semper Colucius fecit hanc Sallustii sententiam: « Sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit: tanta cupido gloriæ incesserat. » (*Catilinæ coniuratio*, VII, 3). Utrum autem hic libertatis amor, quo non solum Florentini, sed etiam aliarum urbium cives tunc flagrabant – seu rectius se flagrasse dicebant – omnibus Italis emolumento aut damno fuerit, est res de qua etiam nunc historici vehementer disputant.

A quibusdam viris doctis Colucius improbatus est, quippe qui anno 1400 librum *De tyranno* scripserit; hoc enim opere cancellarius Florentinus ab doctrinis politicis libertatem extollentibus, quas antea coluerat et foverat, descivisse videtur. Sed inconstantem Colucium fuisse negat Daniela De Rosa in libro, quem *De Colucio Salutati cancellario et disputatore politico* scripsit (La Nuova Italia, Firenze, 1980), quod vir ille « numquam regi vel principi cuilibet favit legibus soluto » (p. 149) et quia « illud opus eo præcipue fine compositum est, ne quis iniustam putaret poenam a Bruto et Cassio, interfectores Cæsaris, in ‘Inferno’ Dantiano sustinendam » (p. 165).

Sed maioris momenti sunt epistolæ, quæ decem in libros plerumque dispertiri solent quasque Salutati ad multos viros misit. Ex omnibus Colucii epistulis constat eum litterarum Latinarum cultorem adeo fuisse diligentem, ut non pauci docti viri ipsum philologiæ classicæ sicut inventorem quadamtenus existiment. Hanc ob rem Salutati « humanista » vere dici potest, etiam eius scribendi genus eas locutiones, quibus alii cancellarii uti solebant, interdum redoleat.

Præterea in eius scriptis verba nova, quæ fortasse etiam nunc sunt utilia, non desunt, ut demonstrat epistula Ioanni Hawkwood, mercennariorum duci (quem iam tunc « Acutum » vocitabant Itali), die 7 Aug. 1378



Colucius Salutatus (imago sumpta ex interretiali Encyclopædia Wikipedia).

missa : « Amice carissime. Scripsit nobis magnificus frater noster Dominus Bernabos Vicecomes, quod pro favore impendendo summo Pontifici in quæstione, quam habet cum dominis cardinalibus Ultramontanis, et pro firmamento status nostri, vos intendit cum brigata Anglicorum celeriter destinare, transitum per nostrum territorium aut unde commodius nobis fuerit, postulando. Et vos rogamus omni affectione, qua possumus, quatenus amore nostri et in totius populi Florentini complacentia singulari dignemini per Romandiolam et non per nostrorum finium terminos dictas gentes adducere [...] ».

Franciscum Petrarca demortuum laudavit Colucius die 16 Aug. 1374 his verbis : « Ut enim sileam de liberalibus artibus, in quibus quantum natura valuerit fas est ex scriptis eius aspicere ; Deus optime, in philosophia, quæ quidem donum divinum omnium moderatrix noscitur esse virtutum et, ut Ciceroniano utar vocabulo, expultrix vitiorum et omnium scientiarum et artium imperatrix ac magistra, quantum excessit, non dico in hac, quam moderni sophistæ ventosa iactatione inani et impudenti garrulitate mirantur in scholis ; sed in ea, quæ animos excolit, virtutes ædificat, vitiorum

sordes eluit rerumque omnium, omissis disputationum ambagibus, veritatem elucidaat ».


Atque ad litterarum Græcarum studium, quod iam pridem apud Italos aliosque Europæos neglectum erat, instaurandum ac fovendum operam navavit cancellarius ille, cuius hortatu Emmanuel Chrysolora (1350-1415), vir doctissimus, anno 1397 Florentiam se contulit. Sed iam die 8 Mart. anni superioris Colucius epistolam Emmanuelli scripserat, in qua leguntur et hæc : « Nunc autem scito me tibi quod in hac urbe regia Græcas doceas litteras salario publico procurasse ; nec pigebit, ut arbitror, mutasse cælum, cum hic et honorabilem vitam et plurimos qui te colent inveneris. » (C. Salutatus *Epistulas* edendas curavit Franciscus Novati, Romæ, 1896, vol. III, p. 122). Non modo in Italia, sed etiam apud viros aliarum gentium doctos resonavit vox Colucii Salutatus, quæ « novam vitæ humanæ ætatem » nuntiavit, ut olim scripsit Eugenius Garin.

Florentiam sicut veram patriam suam existimavit atque amavit cancellarius ille ; nec immerito ; nam, ut legitur in *Laudatione Florentinæ urbis* a Leonardo Bruni anno 1403 conscripta, « nec ullus est iam in universa Italia, qui non duplicem patriam se habere arbitretur : privatim, propriam unusquisque suam ; publice autem, Florentinam urbem. » Qua in urbe Colucius die quarto m. Mai. a. 1406 mortuus est. ❖

NAVIGARE NECESSE EST

*Quattuordecim viatoriae
narrationes veste Latina indutae*

*Miscellanea Gaio Licoppe dicata
edidit Francisca Licoppe-Deraedt*



PROCEMIVM

Gaius Licoppe, medicus radiologus, cum anno 1973 in nescio quo bibliopolio forte incideret in methodum Latine discendi, quæ « Assimil » inscribitur, præscire non potuit vitam suam inde valde, valde mutatum iri. Prima sententia delectatus – « Latine loqueris ? » – librum emit, sic, nullo consilio, exspectatione nulla motus, ut facere solent ei, qui res raras animi causa colligunt. Opus legens priora studia libenter est recordatus, de Europa aliquo fundamentali vinculo confirmanda magis magisque cogitavit et in cauda, ut aiunt, in cauda venenum invenit : inscriptionem dico duorum periodicorum, « Vita Latina » et « Latinitas » inscriptorum, quorum continuo factus est subnotator.

Omnia postea celeriter acta sunt. Accepto Vocis Latinæ exemplari, mox Societatis Latinæ seminaria, quæ Dr P. Cælestis Eichenseer inde ab anno 1973 quotannis moderabatur, participare cupivit. Cupivit quidem, nec vero statim ausus est. Itaque duas e filiabus suis, Dianam et Corinnam, illo tempore discipulas, specularitices misit locoque suo adscripsit ad experienda linguæ Latinæ seminaria, quæ postea ipse erat non solum strenue participaturus, sed etiam in Belgica (ab anno 1983) pro Societate Latina ordinaturus. Cuius societatis interea sodalis etiam factus erat.

Eodem anno 1983 Gaius pelliculam cinematographicam curat e Plauti Rudente conficiendam. Anno 1984 periodicum condit cui titulus est « Melissa », nunc auspiciis Bruxellensis Musei Domus Erasmianæ Academiæque Latinitati Fovendæ publicatum. Anno 1986 sodalitatem perenni Latinitati dicatam, Melissam nomine, Gaius eo consilio constituit, ut Latinitas omnibus modis foveatur. Idem anno 1987 Professore Tuomonem Pekkanen, qui Kalevalam Finno-epicam in Latinum recens vertit, Bruxellas invitat ad

acroasin faciendam ; quæ in ædibus Communitatis Europææ habetur, multis præsentibus, una cum interpretatione et Francogallica et Nederlandica. Inde initur longa cooperatio cum Finnia, sola natione Europææ, quæ linguam Latinam re vera colat ut commune Europæorum fundamentum.

Sequuntur multa, quæ longum est hic enumerare. Gaius conventus participat, symposia instituit, linguam Latinam docet, libros edit, tandem rude donatus pæne obliviscitur se aliquando fuisse radiologum, Academiæ Latinitati Fovendæ creatur sodalis bene meritus, orbem terrarum percurrit Latinitatem provecturus, numquam defessus, animo numquam demisso. Interim circum circa paulatim et pedetemptim constituta est vera Latinistarum societas, cuius hic liber aliquatenus est effigies.

Cum enim ageretur de Gai septuagesimo quinto die natali celebrando, amicis undique oriundis visum est aliquid ei una offerre, librum, miscellanea Latina. Placuit autem indefatigabili viatori viatorias (sensu quidem lato) dicere narrationes, quas pro studio singuli elegerunt e lingua vernacula in Latinum vertendas. Titulus, « Navigare necesse est », alludit ad illam perseverantiam, quam similiter Pompeius, auctore Plutarcho, his verbis olim professus est : « Navigare necesse est, vivere non est necesse » (*Pompeius*, 50). Superest ut Gaius multa fausta et felicia, necnon innumeros annos Latinitati posthac dicandos, toto pectore exoptemus.

Hoc opus editum est auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ Museique Domus Erasmianæ. Idem apud Melissam venundatur ; pretium : 25 eur.

ISBN 2-87290-023-3

In hoc fasciculo !

De Symposio Bruxellensi p. 1
De Conventu Academiae Latinitati Fovendae p. 2
Omnino non assentior ! [S. Feye] p. 4
In Tartariam (II) [F. Deraedi] p. 8
De moribus Tartarorum [Michalo Lituanius] p. 10
Caroli de Comitibus carmina edita et inedita (II) [Th. Sacré] p. 11
De Colucio Salutati [V. Ciarrocchi] p. 14
Bibliotheca Latina p. 16



Imago tegumenti : Bruxellae saeculo XVI : funus Caroli Quinti.
In : L. Van Neck, Vieux Bruxelles illustré, 1909.

INSTITVTIO LINGVAE LATINAE

a Melissa praebetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30 in praesentanti Museo Domus Erasmianae (31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles).
Lectiones incohantur die 11 m. Octobris.
Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be

